

## IN LIBRUM SEPTIMUM

## EPITOMA.

**P**HANENSES in Venetorum fidem venerunt: Nova religio ad fanum Salvatoris condita est, atque aedes Divo Clementi erecta: Cum Patavinis ad Brentæ fluvii scissionem prospere pugnatum: Veneti in Emanuelis Imperatoris gratiam Normanis bellum intulere: Turris ingens e regione fori erecta est: Plerique Histriæ populi tributarii sunt facti: Crucigerorum aedes erecta: Vicinorum conspiratio aliquandiu rem Venetam sollicitam habuit: Unde ludorum, qui Carnisprivio celebrantur, origo sit orta: Emanuel Imperator uno tempore negotiatores Venetos tota Græcia oppressit: Validissima clas-sis in Emanuelem instructa: Justiniana domus hostium fraude pene tota absumpta est: Vitalis Princeps ex Græcanica expeditione reversus, a suis cæsus est: Artifex Gallici sanguinis geminas ante forum columnas mira arte erexit: Rivumaltum primus ponte junxit: Emanuel Venetorum legatorum alterum violavit: Quam ob causam Emanuel Venetum nomen oderit: Quando primum pecunia a privatis sint mutui nomine in publicum collatae: Alexander Pontifex dis-simulata persona Venetias confugit: Veneti Pontificis cau-sa arma in Federicum Barbarubram suscepere: Federici fi-lius a Venetis navalí prælio victus Venetias captivus est perductus: Alexander Ducariam majestatem amplissimis ornavit insignibus: Federicus Alexandro Venetiis reconcilia-tus est: Venetus Dux Pontificem Romanam secutus, magnis ab eo muneribus donatus, domum rediit: Aureæ ædis ulti-mo loco continetur explicatio.

M. AN-